

EXAMEN CENSURÆ

quid opus est testibus, ubi rerum argumenta adsunt & loquuntur? Stabo itaq; hinc, & coronidis loco id tantum addam: mirum meritò videri debere, quod Censor in fine huius censuræ eo usque abripatur, ut scribere non dubitet, *Remonstrantes non minore injuriâ ceteros Theologos criminari, quos Calvinus a seclis nominant*: Hoc enim indubitatum signum est, eum non iudicio, sed affectu ferri, & quæ pro Calvino dixit, pro cæteris omnibus etiam dicta voluisse, quos tam è tam clarè constat sententiam supralapsariam tenuisse, adseruisse, propugnasse, quàm constat bis duo esse quatuor. Quis enim vel leviter versatus in scriptis Zanchij, Piscatoris, Perkinsij, Gomari, Maccovij, aliorumq; id non palpat? Bezæ tantum unius, quem discipulum & Collegam Calvinus fuisse constat, testimoniû, quod paulò ante citavimus, inspiciatur, & si quis adhuc dubitat, næ, eum fungum esse dicet, *cui nihil salit, levâ sub parte mamille*.

EXAMEN CENSURÆ IN CAPUT VI.

De Providentia Dei, seu rerum conservatione & gubernatione.

An attributû
divinæ Provi-
dentia sit, vis
atq; actus po-
tentia quo
Deus res a se
conditas cen-
servat.

Sectione I. & II. censentur Remonstrantes, quòd in definitione Providentiæ divinæ attributum illius omittunt, quod nempe sit *Vis atq; actus potentia, quo Deus res omnes à se conditas conservat*: Hinc incertum est quid Censor sibi velit. An velit attributum illud. *Vis atq; actus potentia*, attributum esse, quod Providentiæ divinæ simpliciter, per se, ac semper competit, an verò velit esse attributum, quod tantum Providentiæ divinæ conservatrici, sive quatenus res conservat, competit. Istud si velit, tum sane perquam ineptus est, quia sequeretur, Deum providentia nulla uti, nisi cum vi & actu aliquo potentia utitur, quod absurdissimum esse Censor ipse non negabit, quia sic providentia divina circa mala non versaretur, aut si circa ea versatur, illam vi & actu aliquo potentia, circa ea versari credendum esset, quod Censorem ipsum sectione seq. negare constat, ubi Deum *mala, quæ mala, vel peccata, qua peccata, nullo modo efficere, sed tantum permittere dicit, & gubernare*. Permissio autem, non est vis sive actus potentia, sed mera tantum actionis cessatio, sive negatio, uti Censor ipse fatetur, pag. lxxxiv. Hoc posterius si dicat, tum